



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

6. De loco & situ recitandi Officium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

obligat, non verò retrahit obligationem ad antecedentia.

9. Difficilius est decernere, An si predictus recitavit manè Horas respondentes tempori ipsi pomeridiano, v.g. Vesperas, obligetur post Professionem, seu Ordines in meridie susceptos, iterum easdem recitare? Obligari docet Bonacina, quem sequitur Castro Palaus *tom. 1. tract. 17. disp. 2. part. 4. numer. 3.* citans Bonacin. quia non satisfit præcepto eo tempore, quo nullum præceptum urget, sicuti non satisfit præcepto de audiendo Sacro die Dominico, per Missam auditam die Sabbati: si quidem die Sabbati nullum urget præceptum: non obligari repetere, supponit ut certum de Lugo, de *Eucharist. disp. 16. scil. 2.* multa enim adsunt præcepta (ait) quæ satis observantur, si paulò antequam urget præceptum adimpleantur: sic, si non sacrum feceris, vel eidem interfueris in loco, ubi non est festus dies, nullus te accedentem eodem die manè in locum, ubi celebratur festum de præcepto obligabit iterum assistere Missæ. Hinc ego sententiam sum secutus, in *opusc. de Comm. cap. 5. §. 2.* Hanc iterum amplector, cuius rationem ibi, si juvat, relige.

Quoniam tempore Officii agimus, Quæret quis: An Officium ex obligatione, recitare liceat tempore Missæ, quæ auditur ex præcepto; ex communi ferè calculo licere respondebimus *inferius, lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 16.* quia utraque est attentio ad divina, neutra alteram impediens.

§. VI. De loco, & sin recitandi Officium.

1. **P**ro publica recitatione locus est Chorus, & tota Ecclesia, ejusque Capellæ: immo alicubi, ex introducta consuetudine, Sacristia, quæ patet ad Ecclesiam: pro privata verò nullus est assignatus locus: solum advertit Castro Palaus *l. c. n. 7.* ex Bonac. *disp. 1. de Horis Can. q. 3. p. 5. num. 5.* & 6. lege item Bellarminum de *bon. operibus, lib. 1. c. 18.* & Navar. de *orat. c. 3. n. 9.* ne in locis immundis, vel distractioni expositis recitetur sine necessitate, qua non existente, venialiter, inquit, peccaretur: ibi propter irreverentiam, hic propter periculum distractionis.

2. Ego hoc de loco distractionibus exposito libens amplector: Illud de locis sordidis, præciso contemptu (qui sanè gravissimum esset scelus) vix possum admittere, nam pari modo, si quampiam orationem vocalem Deo, vel Sanctis eo in loco effunderes: immò si orationem mentalem tunc exerceres, aspirationemque haberes ad Dominum Deum, venialiter peccares; & sanè nimis durum videretur velle fidelem obligare ad abstinendum ab Oratione eo tempore, quo humanis necessitatibus inservit. At in conceptu hominum Oratio ejusmodi sordida facta loco, reputatur irreverenter fieri. Respondeo ita reputari à vulgo, non à sapientibus, qui res suo momento expendunt. Deus optimus operis mandator, æque, atque immundi Creator est, & conservator, à nullis unquam sordibus radij solaris instar, inquinandus; & rectè affert Pater Tancreda, *tom. 1. de Relig. r. 3. lib. 3. d. 3. num. 3.* S. Anselmum apud eundem, id ex illis verbis comprobantem: *Deus ubique est*, & S. Chrysostomum *hom. ad populum Ant. apud eundem.* sic hortantem, *Templum es, ne locum quæras.* Lege Suarium *dict. lib. 2. de ord. disp. 3. & lib. 2. disp. 4. num. 3.* & item illud David Psalm. 102. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.*

Distinguendum igitur est; si locus ejusmodi sordidus sine delectu eligatur ad Horas recitandas, aliasque preces effundendas, cum possit mundior eligi, aliquam venialem irreverentiam committi probabile est: at si vel casu, vel ex aliqua occasione in loco immundo reperiaris, orato libenter, quia etiam in loco sordido melius est orare, quam otiosum esse. Moltæsius apud Bonac. *l. c. q. 3. p. 6. num. 6.* narrat quendam, qui in locis immundis recitabat Officium, in iisdem post mortem fuisse pœnas.

Merito, is enim non ex amore non cessandi à Dei Laudibus in quocunque loco, sed fortasse temerè, & sine delectu, cum alicubi facile potuisset, in locis sordidis Sacrum populum perturbare.

3. Quod asserimus de loco, dictum esto de situ corporis: si enim sine necessitate in lecto decumbens vel sub immodesta corporis positione sine delectu recitaret, cum id sit aliquis desidia effectus, irreverentiam, puta, venialem committeres, præsciendò semper à contemptu, ut dictum est.

4. Stare cum standum; genuflectere, cum est ex præcepto Rubricæ genuflectendum, non excedit, citra eundem contemptum, fines peccati venialis: immò ne venialis quidem culpa terminum attingere putat Castro *loc. cit. n. 7.* quia eæ Rubricæ solum videntur consilium dare, non præcipere: cum videantur ad Chorum ordinatæ.

§. VII. De obligatione, & pœnis non recitantium Officium.

Satis ex dictis liquet præceptum Horas Canonicas recitandum esse sub mortali, idque, ut dictum est, in *opusc. de conf. lib. 2. cap. 2. §. 4.* satis probabiliter unicuique uno die, pœnamque infligit contra præbendatos, seu Beneficiarios esse Restitutionem; contra alios enim præter mortalem culpam, nullam invenio pœnam in jure statutam. De ejusmodi ergo restitutione, si planè eam cognoscere cupias, adi Castro, aliisque *ibid.* citat.

§. VIII. De causis excusantibus ab Officij recitatione.

1. **P**otest esse sermo vel de recitatione absolute, vel de recitatione in Choro pro præbendis, Quoad posteriorem sunt illæ tres, quarum meminit Bonif. VIII. Infirmitas, corporalis necessitas, utilitas Ecclesiæ, de quibus fuscè Doctores. Quoad priorè, de qua ut potè magna, nobis necessariò aliud distinctius hic operæpretium est afferre, sunt item tres. Impotentia, gravis occupatio, dispensatio.

Impotentia.

2. Impotens eris ad recitandum, ac proinde, si ve ul- la culpa Officium omittes: Primò, si inculpate obliviscaris: Secundò, si ignoreas te obligari, vel si legere nescias, qua utraque ignorantia pueros in Beneficium assumptos laborare non raro contingit: non tamen excusos, ut *supra, §. 1. n. 17.* dixi, nescientem legere, si is Beneficium, vel Ordine suscipiat, quia iripsa susceptione peccat, dum graviter indispositus Officij recitandi onus adverteat acceptat. Procole locum citatum. Tertiò, si sine culpa Breviario careas. Quartò, si gravi quopiam malo; v.g. infirmitate, cæcitate, &c. premaris, vel ne illo vexare jure times, puta febris, dolore vehementi, &c. Quintò denique, si jacturam non mediocrem timeas fortunarum, vitæ, honoris, quod licet rarò inter Catholicos evenire soleat, solet in locis hæreticorum, vel infidelium, etiam præsciendò à contemptu Religionis, &c. Hoc reducitur, si graves rixæ & discordiæ timeantur, si Officium recites, in quod certè rarissimè evenire video.

Fillucius *n. 27. p. 2. cap. 6. q. 9. n. 125.* non excusat eum, qui ex pravo habitu magnam habet difficultatem Officium recitandi, quia illum habitum à se tollere obligatur, Merito: sed limita, nisi tanta sit difficultas, ut impossibilitas moralis reputetur, qualis esset si timeretur futura febris, vel gravis dolor capitis, ilque continuus, &c. Sicut enim sua culpa incidens in impotentiam jejunandi, ea contracta ad jejuniium non tenetur, ita in calu nostro.

Verum circa causam infirmitatis quatuor mihi sunt obviam non vulgares difficultates.

Prima difficultas.

Qui non potest totum recitare, non tenetur

ad partem.

3. Visus multis, variis, confusisque dicendi modis hanc